

*De nova Portarum connumeratione instituenda; et quinam Dicatores eligi debeant? et quomodo in connumeratione procedendum? et qualiter, quosve in usus, oblata Dica quatuor florenorum Ungaricorum converti; quive huic Contributioni subjacere; et quibus in terminis praefata Contributio, in duos Annos duranda, exigi debeat?*

### Articulus 62.

§. 7. In Sclavonia more antiquo medium solvatur et in usum illorum Confiniorum convertatur; inclusis etiam bonis Capitaneatus Caproncensis: Quarti tamen floreni dimidium ad nominatos usus administrent; Prout etiam Civitates liberae, in Ungaria quidem ad Domini Palatini; in Sclavonia vero ad Domini Bani requisitionem, pro conservatione Coronae, expensas se liberaliter conferre obtulerunt.

§. 8. Turcis quoque dedititii more antiquo medium solvant.

§. 9. Hujus autem Contributionis exactio duobus terminis fiat, medietas pro Festo Beati Georgii Martyris; altera vero medietas pro Festo Beati Michaelis Archangeli.

*De celeri in necessitate aliqua Regni insurrectione; quomodo in ea procedendum? et qualiter de singulis quatuor Portis, unus Eques bene armatus interteneri debeat?*

### Articulus 65.

§. 3. Civitates autem Regiae et liberae, ad hanc necessitatem, pedites interteneant, juxta moderatam et tolerabilem limitationem Domini Palatini; in Sclavonia vero Domini Bani. \*)

*Ut sua Majestas Regia de Salario et residentia Domini Palatini; sic quoque de stipendii Domini Bani Regni Sclavoniae solutione; cum eisdem benigne convenire et concludere dignetur.*

### Articulus 67.

Quod ad Salarium et residentiam Domini Palatini attinet; sua Majestas Regia, ex singulari gratia, qua in eum suum servitorem primarium propendet; de eo cum illo quamprimum et certo certius concludet.

§. 1. Similiter etiam cum Domino Bano Regni Sclavoniae, sua Majestas Regia, de ipsius Stipendii solutione benigne conveniet.

---

\*) Observandus statuitur, An. 1635. art. 88. Allegatus etiam, An. 1681. art. 47.